



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 49. Quædam Parisiensis Theologicæ Facultatis censuræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI dos dies funibus ligatus raptabatur:
A.C. 1558 postea vero ad collum arboris trunco
 alligatus ibidem animam Deo reddebat.
 Demum Corpus ejus in fluminis ripa
 splendido lumine circumfusum reperie-
 batur, atque ex ejus vulneribus sanguis
 adeo purus manare cernebatur, perin-
 de ac si recens inflicta fuissent. Is ipse
 Apostolicos suos labores descripserat,
 quæ relatio postmodum Anno Christi
 millesimo quingentesimo quinquagesimo
 sexto Romæ typis vulgata fuit.

§. XLIX.

*Quædam Parisiensis Theologicæ Fa-
cultatis censura.*

*Argentre in
Coll. de novis
error. t. 1.
in ap-
pend. p. 20. Et
t. 2. p. 187.
Et seq.* **D**ie decima octava Februarii Theolo-
gicæ Facultatis Parisinæ Doctores
numero plusquam quinquaginta Sorbon-
næ conventum habebant, ut exciperent
Magistrum Claudium Despence, quem
Facultas adesse, suæque doctrinæ ra-
tionem reddere jusserat, eoquod, quam-
vis falso, novis erroribus favere infimu-
latus fuisset. Claudius ergo in Docto-
rum confesso comparet, atque interro-
gatus a Facultatis Decano, an obedire,
seque Doctorum judicio submittere vel-
let? ipse respondit, sciscitatus, quam
potestate a Facultate vocaretur: quibus
dictis hac super re certum sibi dari re-
sponsum postulavit. Postmodum Do-
ctores

doctores re maturius discussa conclude-
bant, quod Facultas ea uteretur aucto-
ritate, quæ ipsi competeret vi juramen-
ti, quo sua membra a debito obsequio
deviantia reprimere obstringitur, cum
quivis privatus se Facultati tan-
quam Matri suæ obtemperaturum polli-
citus est; scriptotenus tamen hoc Fa-
cultatis decretum nequaquam Claudio
esse tradendum decernebatur, nisi ipse-
met prius suam petitionem scriptam
consignaret, suoque chirographo fir-
maret.

Sæc. XVI.

A.C. 1558.

Eodem anno die decima quinta A-
prilis Feria sexta in octava Paschatis
die eadem Facultas in Collegii Sorbon-
nici aula convenerat, ut ibi Parisiensis
Senatus decretum prælegeretur, quo pro-
scribatur quidam artis medicæ liber,
cui titulus: *Archangeli Piccollomini Fer-
rariensis in librum Galeni de humoribus com-
mentarii ad Michaellem Turrianum comi-
tem, ac Genevensem Episcopum.*

In hoc libro plures errores fi-
dei Orthodoxæ adversantes contineban-
tur: itaque Facultas, ut huic Senatus
decreto morem gereret, pro lustrando
hoc volumine selegit duos Collegii Sor-
bonici Doctores Palletium, & Fabrum,
quibus duos adhuc Navarrici Collegii
Doctores Oudinum, & Dampinertinum
junxerat, qui una omnes traditum sibi li-
brum

Sæc. XVI.
A.C. 1558.

brum examinarunt. Postea die trigesima ejusdem Mensis Aprilis Facultate rursus congregata hi Doctores iudicium suum proferentes demonstrabant, quod liber iste multa contineret, quæ sapientiam Gentilium redolent, & fidei christianæ, ac veritati orthodoxæ adversantur, quapropter hunc librum omnino suppressendum esse pronuntiabant.

In eodem Facultatis conventu prælegebantur quædam propositiones, quas a Fremino D' Eux ad populum dictas Cabillonensis Episcopus ad facultatem deferebat, earumque censuras, quibus singulæ erant perstrictæ, Doctores approbabant eoquod præfatus Concionator explicans Canticum B. V. Mariæ, seu *Magnificat* ad hæc secundi Versus verba, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ, addidisset, quod humilitas illic non dicat actum virtutis, sed inopiæ, & paupertatis.* Porro cum idem exponeret illa verba: *Beati, qui audiunt Verbum Dei,* dixerat, Christum docuisse, quod quivis, si legem Dei observat, eundem in cælo cum Beatissima Virgine honoris gradum sit adepturus. Verum ex his duabus propositionibus prima tanquam falsa, temeraria, ac communis Sanctorum Doctorum expositioni contraria, altera autem tanquam hæretica fuit damnata.

§. L.